

Disputatio de morbis formae, seu totius substantiae ... / [Johann Hartmann Beyer].

Contributors

Beyer, Johann Hartmann, 1563-1625.
Planer, Andreas, 1546-1607.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Apud Georgium Gruppenbachium, 1586.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eakfr99v>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4

Disputatio

DE MORBIS FORMAE, SEV
- totius substantiae:

QVAM

PRÆSIDE CLARIS-

SIMO VIRO D. ANDREA PLA-

nero: Doctore & Professore Medico: Præce-

ptore suo colendo: pro ingenij tenui-

tate defendere conabi-

tur,

M. IOHANNESHARTMANNVS

Beier, Francofurtensis.

Die 5. Martij, in auditorio Medicorum.



TVBINGÆ,

Apud Georgium Gruppenbachium.


ANNO M. D. XIXVI.

218-CLARIS
PLA

1.
T H E S E S

De morbis Formæ, seu totius sub-
stantiæ.

Q U Æ S T I O.

 Vm materiæ & formæ morbi in eo conveniant, quod
verissimis naturalis philosophiæ principiis aduer-
sentur: querere libet, utri plus in se absurditatis conti-
neant: cum, ut veritatis & scientiæ, ita falsitatis
quoq; & errorum certi sint distinctiq; gradus?

Thesis I.

Sicuti absurdâ de morbis materiæ opinionem, recentiores me-
dici é pravo ipsius materiæ intellectu conceperunt: describentes
scilicet eam, non (uti veré est) substantiam quandam, omni for-
ma, cum accidentali, tum substantiali destitutam: sed tanquam
rem compositam, certis qualitatibus & accidentibus præditam,
quibus contra formâ ipsam, & nudam partis cujusq; crasin distin-
guatur: Ita absurdam quoq; de morbis formæ opinionem, é falsa
ejusdem conceptione hauserunt: censentes, formam etiam aliquid
corporeum esse, in re & parte similari, subtilius tamen aliquid &
tenuius, magisq; divinum ac reconditum, quàm sit crassa illa, cor-
porea & palpabilis materia.

2. Sic namq; totam Fernelius substantiam describit. Totius, c. 7. l. 1. patho-
inquit, substantiæ nomine, & spiritum insitum, & calorem divi-
num, & facultates, ipsamq; formam complector. Quasi tota rei ali-
cujus substantia é quatuor diversissimis rebus composita sit & con-
stitutata: primûm é spiritu insito, ceu substantia elementari: deinde é
divino calore, ceu substantia quadam cœlesti: tertio é facultatibus,
& δυνάμει partium, tanquam accidentibus: & deniq; ex eo
quod alias physici formam appellant.

3. Nos tribus prioribus, utpote quæ ipsa minimè sunt substantia, omiſſis, ſolam formam ſimplicem ac ſinceram amplectimur quæ neq; ſpiritum, neq; calorem, neq; functiones, neq; ullum aliud accidens ſecum importat, & includit: ut quæ omnia ad materiæ conſortium referri debeant. Præter illa enim omnia, quæ aliàs in ſimilari corpore apparent, eſt aliquid, quod omnium in materiæ præcedentium alterationum finis, omniumq; partis ſimilaris ἐνδὲ γὰρ & propriorum determinatio exſiſtit: quod materiæ & craſin continendo, rem totam ſuſtentat: à quo etiam res nomen ſuum & eſſentiam accipit, ut eo permanente, res quoq; permaneat eo verò ſublato, res etiam tollatur: nec amplius verè, id quod ante ea erat, dici poſſit. Vnde non immeritò tota rei ſubſtantia appellatur.

4. Quanquam utrumq; principium, materia puta & forma negatione quadam deſcribatur (materia enim quiddam corporeū omnibus tamen accidentibus vacans, eſſe intelligitur: forma ſimiliter negatione omnium, quæ per ſe rei ſimilari ineſſe ſolent, deſinitur) verè tamen aliquid ſunt in re compoſita, nec imaginatione tantum noſtra & phantafia ſuſſiſtunt: nec ſic deſcribi debent, quæ materia quidem rei ſit aliquid ipſius rei extra intellectum exſiſtens: forma autem ſit tantum illa ipſa deſinitio & quidditas rei quæ intellectu percipitur.

5. Ab ipſa materia ſejungitur forma: quòd illa ſit aliquid corporeum, hæc verò non. Deinde materia δυνάμεις, forma ἀκτὴν & ἀπεχία; rationem ſuſtinet. Tum materia verè ſubjectum eſt, cum accidentium & motionum, tum ipſius formæ: hæc verò ceu deſinitio quædam, cauſſa eſt certorum in materiæ accidentium & ipſi materiæ ineſt, non tanquam accidens in ſubjecto, ſed tanquam perfectio quædam illius, quæ deſinitione rei (è genere ac differentijs conſlata) in intellectu exprimitur.

6. E quibus liquet, formam & ſubſtantiam cujuſq; partis ſimilari

similaris in humano corpore, non esse externam illam circumscriptionem, vel quantitatis, vel qualitatum, vel aliorum accidentium, quæ in oculos sensusq; nostros incurrunt: sicuti Democritus formam hominis nil aliud esse, quàm ejus figuram censuit: & Empedocles, formam naturamq; in rebus, crasi & mixture elementorum definiuit.

Aristote' es c. 4.
l. 1. de anima.
c. 7. l. 1. metap.
c. 1. l. 1. de ort.
& int.

7. Proinde, ut illorum accidentium, quæ & $\kappa\epsilon\iota$ $\Phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$ rei insunt aut inesse possunt, integritas & conseruatio non pertinet ad ipsam rei substantiam: ita neq; eorundem immutatio & deperditio ad substantiam rei debet revocari: quasi ipsamet forma labem & corruptionem quandam patiatur.

8. Potest quidem vel unum aliquod in parte accidens, propter causas $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\alpha$ $\Phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$ incidentes, insigniter immutari: ubi unus tantum est morbus. Possunt etiam plura accidentia mirum in modum depravari: ubi plures connecti morbos certum est. Attamen neuter illorum substantiæ formæ vè dici morbus debet: quamvis periculosus, gravis & insolens nobis appareat: cum vel seorsim ad morbum craseos aut organicum, vel conjunctim ad compositum ex utrisq; referri commodè queat.

9. Nihil enim prohibet, quò minús vel una aliqua similaris partis qualitas prima insigniter alteretur, vel á varijs $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\alpha$ $\Phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$ causjs, varia quoq; partis accidentia organica, á naturali suo statu plurimùm recedant. Tunc sanè (quoniam in levioribus dyscrasijis morbis vè organicis fieri id non solet) mirificus quidam, & toto genere præter naturam morbus in parte nobis esse videtur: quem, etiamsi non protinus ad aliquod notorum morborum genus revocare nobis liceat: revocare tamen illum, diligentiore animi mentisq; ratiocinatione præmissa, possumus.

10. Forma utiq; partis alicujus similaris, in certa & habili materiæ ejusdem crasi subsistit, & conseruatur: quæ si leviter concutitur, forma tamen ipsa partis (ut quæ substantia sit, & propte-

re a magis vel minus non admittat) labem nullam sustinet. Si vero adhuc magis crasis illa partis immutatur: tunc gravior sané affectus eam occupat: sed neq; is per se formam (quæ e contrarijs exempta, pati nequit) labefaciat. Quod si e toto crasis in materia partis destruatur: tunc morbus non est, sed interitus: qui tamen & ipse non per se ad formam, ceu simplex principium, revocari debet, cum totius potius compositi sit proprius.

11. Licet materia & forma in eo conveniunt, quod utraq; sua pte natura, quatenus per se consideratur, sit ἀπαθής, & nec ortui, nec interitui, nec alijs perpeſſionibus obnoxia: (sunt enim simplicia, quæ magis & minus, adeoq; omnem ἀσυνμετρίαν penitus excludunt) in eo tamen differunt, quod materia perpeſſionibus, varijsq; alterationibus subijciatur, propter inherentes sibi in composito qualitates, quarum causâ magis & minus recipit, atq; ἀσυνμετρίαν admittit: forma autem non solum e sua natura affectiones & perpeſſiones respuit: sed ijs etiam ne subijci quidem ullo modo potest.

12. Porro differunt in rebus mixtis qualitatibus exsuperantia, & ipsum temperamentum. Quo fit, ut sæpe res quædam easdem exsuperantes habeant qualitates: quæ tamen ipsæ, quia diversæ sunt, diversum omnino temperamentum habent. Et quia sic separari a se invicem possunt temperamentum & exsuperantia certæ qualitatis: liquet, fieri posse, ut alia sint, quæ vel conservare, vel destruere ac corrumpere temperamentum, aut certæ qualitatis exsuperantiam possint.

13. Simile quidem conservatur simili: & contrarium destruit contrarium. At agendi & patiendi vis, non tantum exsuperantijs qualitatibus primarum, sed in genere omnibus qualitatibus, quæ in rei temperamento reperiuntur, est concessa. Ut ergo naturalis calor conservatur calidis: πρὸς τὸ θερμὸν αὐτὸν si in parte similari fuerit, contrarijs destruitur: ita naturale partis temperamentum, rebus similem fer-

lem ferè temperiem habentibus conservatur, contraria autem crassi præditis, destruitur ac corrumpitur.

14. Similitudinem temperamentorum non eo modo definimus, quasi talia partibus conservandis sint adhibenda, quæ similem cum illis temperaturam obtineant: (cùm talis crasse non similitudo nulla in rebus detur: utpote quæ tantum temperamentis, quantum formis, à se discrepent) sed actione & passione: quia videlicet agentes partis conservandæ qualitates, in agentes medicamentorum vel alimentorum qualitates agunt (singulæ in sibi oppositas) & sic illas vincere & superare commodè valent: similiter quod patientes rerum adhibitarum qualitates, à patientibus partis conservandæ qualitatibus vinci facile ac superari se patiuntur.

15. Tali actione, in qua victoria est penes partem conservandam, temperamentum ejus conservatur: cùm non solum & à quibus in ea exsuperans qualitas non frangatur, sed etiam reliquæ qualitates primæ ac secundæ (quæ ad ejus temperamentum pertinent) custodiantur. Quoniam enim singulæ partis conservandæ qualitates, in sibi oppositas medicamentorum vel alimentorum qualitates agunt, illasque vincunt ac superant: fit, ut temperamentum ejus conservetur, & nullam planè mutationem sentiat: cujus privatione & negatione scilicet conservatio existit.

16. Sin verò agentes partium nostri corporis qualitates, in medicamentorum, vel rerum adhibendarum oppositas, non facile agere possunt, sed ab his potiùs superantur: ac similiter materiales medicamentorum & rerum adhibitarum qualitates, non vincuntur à materialibus partium qualitatibus, sed illas vincunt & superant: Tunc hujusmodi victoriâ contrarietatem rerum definimus: quæ rectè dicere licet, hæc vel illa medicamenta, καὶ οὐκ seu totâ substantiâ partibus esse contraria, & ob id eas destruere ac corrumpere: sicuti priora totâ substantiâ existebant similia, partesque ipsas conservabant.

17. Sed

17. Sed aliter excedentem tantum in partibus qualitatem, si
 ὅτι φύσις fuerit, conservamus: aut, si eadem πρὸς φύσιν existi-
 terit, destruimus. Qualitas enim naturalis, in ὑγιανῇ medicina
 parte, similis qualitatis accessione conservatur, vel etiam augetur
 & intenditur: unde vulgatum illud, simili simile conservari, man-
 vit. Excedens verò πρὸς φύσιν qualitas, in θειραπείᾳ parte
 contrarijs destruitur: qua ratione apud medicos celebre est, con-
 traria contrariorum esse remedia.

aph. 12. sect. 2.

6.1. de sensu.

18. Insuper motiones & alterationes, quæ à qualitatibus exci-
 tantur, & in certis rebus subiectis recipiuntur, aliæ subito, confer-
 tim, & é toto fiunt: aliæ verò sensim, lentè, paullatim, & quasi pe-
 partes ac vices, seu gradus, tempore etiam distinctos. Hac ratione
 totam aquam simul, non unam ejus partem prius, aliam posteriùs
 congelari experimur. Hypocaustum verò amplum partitè calefie-
 ri observamus: cum primùm fornax ab igne incalascit, qui vicini-
 tum aërem calefacit, hic item proximum, donec toti spacio calo-
 sit impertitus.

19. Hujus diversitatis alterationum causa est, non tantum
 ὅτι πλὴν ἢ ὀλίγον rei mobilis: sed aliæ etiam causæ in ipso move-
 te assignari possunt. Alias enim vis & efficacia ipsius major mi-
 nor vé h. e. vehementior aut remissior deprehenditur: interdum
 quoq; movendi virtus simplex & unica, aut composita & mul-
 plex existit.

20. Si namq; mouentis causæ magna vis exstiterit: tunc
 confestim patiens idoneum movet & alterat: sicuti hoc in exsus-
 rantibus etiam sensilibus videre licet, quæ λόγον & ἀετιοπία
 τῶν αἰσθητηρίων subito perimunt & destruunt. Simili ergo rati-
 ne vehementissimus rei moventis calor, aut intensum frigus, su-
 to, & confestim dyscrasiam frigidam aut calidam (& hinc etia
 nonnunquam mortem) partibus nostris inducunt: quam remissa
 calor, levius vé frigus, non nisi longiore tempore, & per partem

excita

excitare potuissent. Hoc etiam modo venena qualitatibus excellentia, eorumque alexipharmaca, differunt ab alijs causis, qualitate sua remissius nos moventibus & afficientibus.

21. Omnes autem alterationes, siue subito, siue paulatim existant, in eo conveniunt, quod moventium qualitas (cujus ratione alteratio describitur) tam occulta, quam manifesta, in oppositam rei mobilis qualitatem agit. Aut, si qualitati causae moventis, nulla speciatim in mobili qualitas opponatur: illa saltem in eam, quae proximè ad patiendum habilis est, agit: cum agentes omnino cum agentibus, similiter patientes cum patientibus, convenientiam quandam habere videantur. Hinc occultae & abstrusae etiam moventium qualitates, nostra in corpora (etiam si his nulla qualitas, in specie illis opposita, insit) agere possunt.

22. Proinde si qualitas mobilis minimum ad resistendum habeat virium: sed qualitas causae moventis, siue manifesta sit, siue occulta, vi polleat maxima: Tum subito actione ista & passione motio excitatur. Sin autem infirmior sit qualitatibus moventis vis & efficacia, sic ut remissius in sibi oppositam rei mobilis qualitatem agat: aut haec plus ad resistendum habeat ponderis & momenti: tunc utique paulatim & per partes in mobili subjecto $\kappa\iota\nu\nu\omicron\iota\varsigma$ & $\mu\omicron\iota\omega\iota\varsigma$ oboritur.

23. Quae modo diximus de vehementia aut remissione qualitatis moventis: eadem ad virtutem quoque motricem simplicem & compositam transferri debent. Alias namque virtus causae moventis est simplex: ut cum id, quod corpori nostro occurrit, unica qualitate vincente, calore nimirum aut frigore, in nos agit: & vicissim, una solum in corpore nostro qualitas opposita, ab eadem patitur. Tunc enim, ceteris paribus, lentè & paulatim corpus nostrum afficitur & alteratur.

24. Interdum verò movens causa, quae parti alicui incidit, composita est, & multas ad movendum vires in se continet: ut si

aër non solum causâ caloris, sed etiam ratione humiditatis, imo etiam propter malignâ quandam & pestilentem, qua pollutus est qualitatem, corpus nostrum afficit. Tunc profectò (si huiusmodi movens, respectu omnium suarum virium, excellentem & æqualem habeat movendi potentiam: ei verò minimùm corpus nostrum resistere valeat) subito excitatur ἀλλοίωσις, quâ nostrum corpus destruitur. Sic enim venena reperiuntur, quæ subito nos inficiunt & interimunt: quibus opponuntur alexipharmaca, quæ subito à qualitatibus corporis nostri oppositis vincuntur & superantur.

25. Si remissior sit huiusmodi causæ mouentis efficacia, & ipsius vires non æqualem ad movendum potentiam habeant: aut illi pars nostri corporis magis resistere valeat: Tunc utiq; tardiùs & non tam citò alteratio in eadem excitatur. Qua ratione venena quaedam, prioribus quasi opposita, non subito, sed longiore omnino tempore & paulatim nos enecant atq; conficiunt.

26. Cæterùm his principiorum loco præsuppositis, antequam argumentorũ, quæ pro totius substantiæ morbis afferuntur, considerationem suscipiamus, distinctio hæc, est sententia recentiorum observanda: Quod nimirum proprii & peculiare formæ morbi, à vitij materie aut craseos, non tantùm ratione, sed etiam subjecto sunt separabiles: cùm morbi materie aut craseos, non necessariò morbum formæ conjunctum habeant: nec morbus formæ, vitia materie aut temperamenti præsupponat: sed seorsim tria isthac morborum genera consistere possint. Et licet ita interdum coincidant, una eademq; pars non dyscrasiâ tantùm laboret, sed etiam materie formæq; morbo conflictetur: vitium tamen formæ proprium reliquis omnino distinguendum fuerit: quoniam & peculiari ratione partis ἐνέργειαν labefactat, & diversum à reliquis duobus curandi modum requirit.

27. Primùm (ajunt adversarij) rationi consentaneum videtur,

ur, ut formæ proprios morbos constituamus: quoniam ipsa etiam forma naturā partis complet, imò sola perfectio & integritas est, qua res unaquæq; consistit: (materia .n. & crasis, quæ ipsa quoq; in parte simili reperiuntur, longè ignobiliores sunt, cū essentiam rei non constituent) Vnde si causæ πρὸς φύσιν incidentes, vehementius hanc affligunt & dimovent: certè decessio talis, meritò totius substantiæ morbus appellari debet: quoniam res ipsa, & pars similis tota continuo frangitur & immutatur: quod non ita evidenter fieri solet, si materia solū aut temperamentum ejusdem de naturali suo statu decedit.

28. Aliàs Aristoteles dicit, principijs immutatis, insignem mutationem consequi: quæ non eveniat, si leviora quædam mutationem sustineant. Veluti si quid in clavo intempestivè & importunè cōmutatur, magna sequitur in prora mutatio. At formā partis, quæ substantia ipsius consistit, principium esse: non solū ē philosophia, sed etiā ex ijs, quæ paullo suprà de forma diximus, est manifestum.

c. 2. l. 8. hist.

c. 2. l. 1. gen. anim.

c. 4. l. 3. de part.

c. 5. l. de motu animal.

29. Iam quòd longè graviores insignioresq; mutationes & morbi accidunt partibus similaribus, si ipsamet forma illarum periclitetur, quàm si sola crasis aut materia earum perpeffionem sentiat: ipsa etiam magistra rerum experientia testatur: quā constat, morbos illos totius substantiæ periculosos admodum esse, & citius mortem interitumq; afferre, quàm reliqua craseos aut materiæ vitia ac παθήματα.

30. Ac sicuti materiæ & craseos vitia aliàs leviora sunt, quæ interitum non afferunt, sed morbo tantū partem affligunt: aliàs autem vehementia admodum, quibus mors partis causatur: Ita etiam motus isti πρὸς φύσιν, qui primū & per se ipsam formam occupant, duplices sunt: perfectio enim ac integritas, qua res unaquæq; consistit, aliàs ē toto immutatur, & de perfectione sua decedit, ubi morbus non est, sed perfecta consummataq; ejus corruptio sive interitus.

31. Quando autem decessio illa integritatis rei de optimo statu nondum plané est confirmata (veluti si quis fundamentum domus concutiat quidem, ut domus ruinam minetur & tremat: non veró plané illud demoliatur, ut subito domus concidat & collabatur) tunc sané decessio ista ab optimo statu, substantiæ morbus & corruptela, non veró (quoniam ultimum terminum non attigit) ipse interitus & omnimoda corruptio seu mors appellari solet. Hinc gangræna morbus substantiæ appellari potest, cum sit imperfecta corruptio substantiæ: sphacelus veró interitus, cum substantiæ sit corruptio, ad exitum iam deducta.

32. Et quia morbus totius substantiæ, secundum Fernelium, est corruptio imperfecta, hæc veró vel cum putredine, vel sine putredine esse potest: Ideo morborum totius substantiæ duæ generales sunt & communissimæ differentiæ, nempe Corruptio simplex, & Putredo: ad quas reliquæ, á causis efficientibus petitiæ differentiæ, revocari commodé possunt.

33. Forma cujusq; rei substantialis, est quidem principium, sed non tale, quale sunt testes, cor, aut reliqua ejus generis composita, de quibus locutus est Aristoteles in locis antea citatis: nec est tale aliquid ὑλικόν, cui tota rei substantia innititur, tanquam domus fundamento, aut clavo proa: sed simplex est principium, quod, ob naturam omnis missionis expertem, nec intendi potest, nec remitti. Sicut igitur ipsa forma nullam prorsus mutationem sustinere potest: sic neq; ea ratione causa efficitur mutationis & affectionis, vel minimæ, in re parte vé illa, cujus principium & forma existit: contrá quám se res habet in alijs principijs, quæ ex Aristotele sunt prolata.

34. Deinde, ut aliquid capax sit & δυνάμει sanitatis vel morbi, non est per se causa nobilius aut ignobilibus, quod in parte similari reperitur: sed συμμετρία vel ἀσυμμετρία in corpore tali, quod animatam ἐνέργειαν exercere potest. Quare, ut maximé

recipuum & præclarissimum in parte similari sit ipsa forma, quæ materiam & crasin ejusdem longo post se intervallo relinquit: non amen rite inde concluditur, si posteriora hæc, ceu res levioris momenti, sanitatem & ægritudinem admittunt, ideo multo magis his habitibus ipsam formam, ceu eminentius principium, obnoxiam fore.

35. Temperamentum enim (secundo modo) & materia (quar- modo per se) $\sigma\upsilon\mu\mu\epsilon\tau\epsilon\gamma\iota\alpha\upsilon$ & $\alpha\sigma\upsilon\mu\mu\epsilon\tau\epsilon\gamma\iota\alpha\upsilon$ recipiunt: unde, propter illam quidem, sanitatem: propter hanc verò, omnis generis morbos & affectiones admittunt. Forma autem omnino & $\sigma\upsilon\mu\mu\epsilon\tau\epsilon\gamma\iota\alpha\upsilon$ & $\alpha\sigma\upsilon\mu\mu\epsilon\tau\epsilon\gamma\iota\alpha\upsilon$ excludit: cum sit aliquid prorsus indivisuum, & $\acute{o}\lambda\omega\varsigma$ $\acute{o}\lambda\omicron\upsilon$, cui nulla intensio aut remissio ascribi potest.

36. E quo sequitur, Fernelium non rectè distinxisse corruptionem & interitum partis ab ejusdem morbo, quem totius substantiæ appellat: quod interitus perfecta sit formæ destructio, morbus autem ejusdem diminutio solum & imperfecta labefactatio. Non enim forma sic è parte de naturali suo statu decedere, & alia è permanere potest: sed simpliciter vel statum suum naturalem intèrè retinet, vel è toto amittit: quemadmodum & punctum vel è toto attingimus, vel omnino ab ejusdem contactu aberramus, ut sicubi scribit philosophus.

37. Motiones etiam illæ, quibus forma vel ad naturalem statum paulatim transfertur, sic, ut antea non existens, subito esse incipiat (quod scilicet fit per rei generationem) vel quibus de naturali statu paulatim deturbatur, ut ipsa antea existens, subito post se desinat: illæ, inquam, motiones formam non contingunt, sed materiæ sunt duntaxat præparationes & $\alpha\lambda\lambda\omicron\iota\omega\varsigma\delta\epsilon$, $\gamma\acute{\epsilon}\nu\epsilon\sigma\iota\upsilon$ vel $\theta\omicron\rho\varsigma\alpha\upsilon$ præcedentes.

38. Atque talium alterationum & præparationum materiæ, quoad introducendam formam adhuc respiciunt, finis & extremum est ipsa forma. Reliquarum alterationum, quæ, formam cor-

pori jam inducta, in materia ejus oboriuntur, si naturales sint, finis est habitus ille, qui sanitas dicitur: si præter naturam existant, aut nondum tales quæ rei substantiam penitus dissolvant, finis est morbus: sin formam prorsus excutiant, interitus & corruptio.

39. Sicuti alterationes istæ πρὸ φύσιν, quæ in materia similis partis oboriuntur, aliæ vehementiores sunt, quibus plus inest virium mutandi, aliæ leviores, quibus minus: Sic habitus etiam seu διαθέσις morbida, quæ illas finiunt & determinant, aliæ graviore, aliæ leviores existunt. Unde etiam accidit, morbos alios citius interitum afferre, magisq; periculosos esse, alios verò minus.

40. Cujuscunq; autem sint modi & conditionis, cum alterationes ipsæ πρὸ φύσιν, tum earum διαθέσις, tanquam fines & ἐξῆς: certè subjectum illarum non est, nisi materia cum temperamento: & nequaquam forma, quæ ab ijs labefactari nullo modo potest. Quemadmodum neq; clarissimum solis lumen per se alterari aut contaminari potest: etiam si aër, in quo solis lumen resplendet, multis sit corruptus & inquinatus, cum simplicibus tum malignis qualitatibus.

41. Deinde recentioribus medicis necessarium esse videtur si simplices quatuor elementorum qualitates viribus præditæ sunt rerum formas atq; substantias multo præstantioribus excellere. Et sic statuunt partis formam suis quibusdam peculiaribus viribus ceu dotibus quibusdam, insignitam esse: quæ tam à temperamento non prodierint, quàm ipsa etiam forma, non à temperamento, & qualitatibus elementorum, sed à diviniore principio (nimirum semine, aut ipso potius cœlesti corpore, ut opinantur) suam traxerit originem.

42. Hinc Fernellius in parte similari tria actionum genera statuit: actiones scilicet materiæ, craseos, & ipsius formæ. Et singula hæc genera ἐνδρυσίωρ, primum & per se proprijs suis morbis lædi ac diminui credit: materiæ scilicet actiones, à morbi

materia

materia: crassas, á dyscrasijs: formæ deniq, ἐνέργεια, á morbis tē-
 rius substantiæ. Quamvis interim ex accidente cujuslibet illorum
 rium gravioribus vitijs, alterius quoq, actiones perturbari posse,
 non ita inficias.

43. Missis in præsentia materiæ & temperamenti actionibus
 (ut quæ é præcedente nostra disputatione cognosci possint) formæ
 ἐνέργεια, constituunt, nutrimenti attractiones, retentiones conco-
 ctiones, & recrementorum expulsionē: suas singulis partibus simi-
 laris proprias. Ut enim struthiocamelus non elementorum calo-
 re, nō insito temperamēto, sed totius essentiæ naturá ferrū cōcoquit,
 quod leo, animal longé calidius, conficere nequit: ita etiam (ex illo-
 rum sententia) quæcunq, in nobis sunt partes, coctionem, nutritio-
 nem, & harum administras functiones, quemadmodum sensum
 quoq, ac motum, vi totius, substantiæ obeunt & exercent.

44. Et, cū tria sint ἐνδυνάμει in humano corpore genera:
 ctiones nimirum naturales, sensitivæ, & practicæ: hæc veró omnia
 ut recentioribus illis placet) á forma promanent: Vtiq, omnium
 ἐνδυνάμει forma erit causa: & nullus communissimis naturæ in-
 strumentis, primis videlicet qualitatibus, locus relinquetur: qui-
 us tamen omnes magno in mundo effectus passim in philosophia
 soluit, & explicat Aristoteles.

45. Verū enim veró non omnis penitus vis, agendiq, facultas
 qualitatibus adimi videtur. Et si enim hæ non principaliter, ut
 forma: attamen ut οὐκ αὐτὰ, ἐνέργεια, producere dicuntur. Quem-
 admodum etiam videmus, ab operibus artificiosis non excludi in-
 strumentis, aut qualitates, quibus artifices ad effectum producen-
 dum utuntur: etiamsi ipsum artificem per se & primario artificio-
 rum opus efficere dicamus.

46. Sed inter utriusq, generis effectus, imó inter ipsum artifi-
 cem & formam, ceu naturam, hoc est discriminē: quód artifex
 per se, distinctam á qualitatibus aut instrumentorum motu
 exercet

exercet ἐνέργειαν, qualitates miscendo & contemperando, ac instrumenta secundum artis suæ præscriptum mouendo atq; tractando. Forma autem in partibus ne hoc quidem modo operi manus ammoveat, & actiuosa existit: cum etiam χαλεπὸν sit πλάσαι, quomodo ipsa per se forma aliquid agat.

47. Fingere autem formam peculiare quasdam facultates cœlitus quasi in corpus secum importare, quibus certas in partibus similaribus actiones obeat: perinde est, ac si quis statuatur, formam mercatorem aliquem esse, qui, varijs pretiosis gemmis & auro onustus, ad nundinas Francofurtenses proficiscatur, & omnia illa secum deferat, nec ea imponat asinis suis, aut vehenda equis committat. Sanè, quâ id facilitate simpliciter asseritur: eâdem quoque simpliciter refutari potest.

48. Neq; ipsæ qualitates vires alias habent congenitas, præter primas, quibus definiuntur: reliquæ etenim facultates è primarum mistione exsurgunt & excitantur. Forma autem, seu simplex principium, neq; cum materia sua, neq; cum qualitatibus huic inherentibus misceri potest. Vnde, ex adventu formæ, nullæ de novo in corpus facultates inferuntur: neq; forma in se nobiles & ἀπὸ φύσεως δωρεῖται: habet reconditas: quemadmodum alijs rebus quibusdam mistis, etiam minimis, vires tamen inesse maximas conspicimus.

49. Præterea ferrum exterere struthiocamelum, quod ne le quidem calidissimus conficere possit: non evincit ἐνέργειαν illam ab ipsa forma excitari. Non minus enim proprio temperamento struthiocamelus ferrum coquit, quàm homo panem, equus fœnum, asinus sarmenta, gallinæ araneas & vermes. Deinde, leo & struthiocamelus tam temperamento, quàm formâ differunt. Tum, licet calor certus, in tali temperamento aliquid conficere nequeat: non tamen absurdum est, vel similem, vel etiam remissionem calorem in alio temperamento id coquere posse: præsertim, cum certæ qualitat

Gal. 1. de sem.
1. 3. & 6. de loc.
aff.

itatis exsuperantiam, totumq; temperamentum, haud idem esse, supra ostenderimus.

50. Quod si naturales similiarium partium actiones, temperamenti mutatione laedi, aut rursus alijs crasibus juvari possunt: quemadmodum hoc fieri Galenus docet) necessario certé á temperamenti ejusmodi actiones, & non ab ipsis formis prodierunt: l. 3. de caus. sympt.
 alias enim mutatio crasew naturalis illas $\psi\epsilon\rho\gamma\epsilon\alpha\varsigma$ non immutaret, nisi admodum valida esset & excellens. Quod autem sensitivæ & practicæ quoq; $\psi\epsilon\rho\gamma\epsilon\alpha\varsigma$ beneficio crasew illarum partium exerceantur, plurimis in locis docet Aristoteles.

51. Deniq; á diversitate caussarum alterantium, & ipsa curandi ratione, formæ morbi propugnari solent. Si enim sunt lædentia, quæ á tota substantia lædere possunt: certé læsiones etiam, id est, morbi totius substantiæ esse videntur. Talia veró lædentia in re natura exsistere, é Galeno confirmatur: qui alicubi qualitates c. 2. l. 2. ad Glauc.
 alienas virtutem dissolvere asserit. Hujusmodi ergo alterantia, ut á tota substantia alterant: ita morbum etiam totius substantiæ, nempe virtutis dissolutionem, & formæ corruptelam, inferunt.

52. Et alibi medicamenta idem autor sic distinguit: quod alia c. 1. l. 5. simp.
 sint, quæ alterent qualitate vel simplici, vel composita, alia veró totá substantiá: ad quam posteriorem classem omnia lethalia & deleteria, item alexiteria & purgantia, atq; etiam quædam attrahentia refert. Quod si ergo (inquit Argenterius) medicamenta nonnulla tradit Galenus, quæ á tota substantia, seu tota natura (non ob suas evidentes qualitates) corporis similis mala procellunt: cur non eodem quoq; in corpore mala statueremus, quibus illa mederi possint & soleant? Alias enim frustra erit excogitatum, alterius hæc esse naturæ, quàm ea, quorum effectus ad manifestas, primasq; qualitates reducuntur.

53. Nos, licet formæ morbos omnino negemus: distinctionem tamen medicamentorum Galeni haudquaquam vanam esse arbitramur.

tramur. Per primas enim qualitates certarum tantum primarum
qualitatum exsuperantia: per totam vero substantiam, cum pri-
ma, tum secundae qualitates, quae in temperamento materiae rei in-
sunt, intelliguntur. Actio igitur, quae ex omnibus crasseis qualitatibus
prodit, à tota provenire dicitur substantia: quoniam scilicet
totae rei nihil aliud, quam ipsa temperatura, Galeno & alijs medi-
cis esse videtur.

54. Interdum à tota substantia quaedam agere dicuntur: non
quod omnes qualitates in oppositas mobilis qualitates agant: sed
quod è commistione primarum & secundarum qualitatum, seu
toto rei illius temperamento, certa quaedam & mirifica qualitas
emerferit, quae huic soli, nullique alij rei conveniat: cum videlicet natu-
ra etiam alia res praeter unicam illam, ejusmodi qualitatum om-
nium in materia temperiem è toto sit sortita. Huc proinde omnes
ἰδιότυποι καὶ οἰοὶ reuocandae sunt: quibus res non minus, quam ipsae
formis substantialibus, dissident.

com. 4. l. 2. de
nat. hum.

c. 85. art. par.

55. Quod Galenus quodam in loco scribit, morbidam illam aë-
ris excretionem, quam communem popularium morborum causam
constituit Hippocrates, nihil aliud esse quam exhalationem
quae proprietate totius substantiae potius, quam simplici qualitate
corpora infestet: (unde & alibi, aërem non primis tantum qualita-
tibus, sed in tota substantia alterari, ait) id non evincit, ista pro-
prie ab ipsa forma evenire: cum propter insignem quandam nobis
occultam qualitatem, è primarum crasi in ipso aëre excitatam
fieri possint.

56. Neque enim tenuitas solum, crassities, durities, mollities, &
reliquae secundae nobis cognitae qualitates, illarum mistione nascun-
tur: sed plures aliae occultae & ineffabiles inde existunt: quarum
aliae simpliciter & paullatim, aliae autem maligne ac subito pa-
tientia corpora alterare, & afficere possunt. Unde, quod ad aë-
rem attinet, libenter sane concedimus illum interdum à causis

ἢ αὐτῶν

ἢ πῶς, grauiter admodum alterari, & malignas qualitates concipere: qua ratione postea νοσῶν illa ἀπὸ κατὰ φύσιν, mirabili modo corpora nostra afficere queat: quemadmodum humores etiam ipsi, in nostro corpore contenti, mirabiles corruptionum species concipere possunt.

57. Sed hæc, ut vera sint, non tamen ad aëris vel humorum formam pertinent. Aër siquidem non ratione formæ suæ mutatur (aliàs aër esse desineret) sed tantum quoad crasim, quandam sustinet affectionem: & sic temperamenti affecti ratione, similiter corporis nostri solam crasim, non verò ipsam formam primum & per se abefactat.

58. Hac distinctione animaduersa: sequens etiam Fernelij argumentum dissolvi potest & facillimè. Is enim ea, quæ à tota agunt substantia, non in corporis nostri qualitates, sed in ipsam substantiam, primum & per se agere statuit. Cum enim actio & passio tantum sint inter contraria, sub eodem genere posita: qualitates autem substantijs non repugnent: Colligit, substantiam in qualitates primum & per se agere non posse, nec contrà: sed, ut qualitates solas qualitates afficiunt, ita totam quoque substantiam duntaxat corporis nostri substantiam afficere.

59. Afferimus namque & ea, quæ ab universa substantia agere dicuntur, causâ qualitatum agere: nec ipsam corporis nostri formam & propriam substantiam, sed contrariè sibi oppositas (aut certe vicinas) qualitates, oppugnare. Quomodo enim substantiæ, quæ contrarietatem nullam admittunt, in se in vicem agere poterunt? Duone contrariorum agentium & patientium genera constituenda erunt, substantiarum alterum, alterum verò qualitatum? Sanè nimium mollis hæc & ad libidinem conficta videtur opinio: cum philosophi qui vis præstantissimi solis qualitatibus, ceu communibus naturæ instrumentis, omnem agendi vim & contrarietatem asscribant: & substantias, quatenus substantiæ sunt, nec agere nec pati à se in vicem posse, doceant.

60. Quod si ergo nulla sunt, quæ tota substantia (prouti non verè & propriè totam substantiam & formam cum philosophis accipimus) nos offendunt: (sicuti nulla talia esse, satis est ostensum) sequitur profectò, nunquam corporis nostri totam substantiam mutari: neq; in nobis, tum Hippocratis, tum Galeni sententiâ, quosdam totius substantiæ morbos generari.

61. Porro Fernelius morbum totius substantiæ, qui putredinem junctam habet, sic etiam è curandi diversitate, ab intemperiebus sejungere conatur. Longè enim aliter (inquit) intemperiem quæ sine putredine est, quàm quæ sociam habet putredinem, curare oportet. Cùm namq; in ardente febre humores computruisse dicimus: non solum intelligimus illos vehementer incaluisse, ut solo accurationem refrigerio sit opus: sed præter calorem aliud vitium, id quæ gravius, animo concipimus, quod solis refrigerantibus emendari non potest, sed vacuari indiget, & è corpore procul amandari. Quo nomine Galenus etiam duo præcipua curationis febrium putridarum capita, κένωσις nimirum & ἀλλοίωσις, describit.

c. 89. art. par.

62. In partibus singulis, intemperiei atq; putredinis conspectus se se offert discrimen. Nemo quippe pulmones, lienem, vel jejunum incaluisse, idem esse dicat, atq; computruisse: cùm intemperata illa minimè, putrida verò, facile oculorū judicio in dissecto cadaveris re animadvertere liceat. Aliam ergo in priore, & aliã in posteriore casu curandi rationem instituimus. Veluti etiam membrum inflammatum refrigerando persanamus: putridum & sphacelatum non item, sed præcidendum id exstirpandumq; est: nam omnino præter naturam cùm sit, sese auferendum indicat.

63. Similiter (inquit Argenterius) contra febres pestilentes morbum gallicum, & alios qui maligni morbi dicuntur, quos item venena toto genere lethalia concitant: non calidis, frigidis, humidis, & siccis, sed ijs quæ tota agunt substantiâ pugnamus. Sicuti reliquos etiam totius substantiæ morbos, sine putredine existentes

aliter

liter quàm simplices dyscrasias curamus: quod in singulis per inductionem facile posset confirmari.

64. Veruntamen, quod ad putredinem, aut aliam quamcunq; humorum corruptionem, quæ cum morbis intemperiei nonnunquam copulatur, attinet: dicimus, illā non tam morbum esse, quàm causam morbi & intemperiei, sicuti etiam quandoq; ejusdem symptomata. Vnde, quemadmodum in alijs morbis manifestis, qui cum alijs causis consistunt, alia sunt adhibenda morbis, & alia causis: nec tamen causæ pro peculiari specie morbi habentur: Ita etiam, si putredo, aut quævis alia corruptio fuerit in humoribus (ut in febris putridis) alia putredini, tanquam causæ, alia autem calori febrili, tanquam morbo, conveniunt, ut Galenus docet.

l. 11. meth.

65. Eadem est ratio putredinis illius, quæ cum intemperie solitas partes, aut viscera interdum occupat: ubi similiter putredo non sustinet rationem morbi, sed vel est causa continens & fovens morbum, vel certè ejus effectus & symptoma. Sic, quod aliter mærum inflammatum, nimirum refrigerando: & aliter sphacelo aut putredine jam corruptum, resecando scilicet, persanamus: id non vincit sphacelum aut putredinem totius esse substantiæ morbum: sed hoc tantum colligitur, (quod in controversia positum minimè est) aliter atq; aliter utriusq; generis vitia esse curanda.

66. Pariter ad malignos, pestilentes, & venenatos morbos, facilis est responsio: nimirum hoc tantum concludi, singulos morbos tantum suis contrarijs, at non indifferenter quibuslibet, propulsari. Quoniam enim tales morbi non simpliciter, è calido, frigido, humido, & sicco, sed ex occultis quibusdam, singularibus, & indivisibilibus qualitatibus (quæ ob id à tota substantia esse dicuntur) ortum habent: ideo etiam similibus duntaxat contrarijs, (nempe occultis, & experientiâ solâ cognitis qualitatibus: non verò simplici calido, frigido, humido, aut sicco) fugari possunt.

67. Quæ jam de ratione curandi morbos formæ cum putredine,

diximus: eadem suo modo, ad alteram istorum morborum differen-
tiam (quæ morbos formæ, sine putredine existentes, ut spiritus in-
nati dissolutionem, nativi caloris extinctionem &c. complecti-
tur) accommodanda sunt. Nam & hi aliter quandoq; curantur,
quàm morbi manifesti: non tamen ob id totius substantiæ sunt
morbi: sed ad temperamentum referri possunt, vel ad morborum
causas atq; symptomata: vel sanè affectus complicati cum alijs
affectibus, causis atq; symptomatis, existunt.

Ανακεφαλαίως
εἴς.

68. Morbi igitur totius substantiæ dicuntur, vel quia sunt mi-
rabiles, insolentes, & admodum tetrici, variamq; speciem exhibent:
aut quia subito, non lentè & paulatim nos conficiunt: aut quia sin-
gularibus tantùm & appropriatis medicamentis curari solent.
Verumtamen etiamsi cuncta hæc vera sint: non tamen inde effici-
tur, quòd substantiæ debeant morbi appellari: cùm illorũ omnium,
ex ijs quæ hæctenus diximus, rationes reddere possimus: adeò ut
necesse non sit, ob eorum explicationem, philosophiæ fundamenta
concutere, ipsamq; rei formam, quæ simplex & sincerum est prin-
cipium, nescio quibus mutationibus, tanquã chamæleontem quen-
dam, subijcere. Primum enim (ut suprà docuimus) ob immutatio-
nem variorum partis accidentium, quæ ad formam non pertinent,
evenit. Alterum interdum propter vehementiam, aut compositio-
nem causæ moventis, contingit. Postremum propter curandi le-
gem, à natura institutam, accidit: appropriata namq; medicamen-
ta occultos depellunt morbos, quoniam toto his tempera-
mento ad versantur. Et sic nulli prorsus formæ mor-
bi existunt: quod hæctenus nobis fuit demon-
strandum.

F I N I S.